



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 3. Quis sit Judex competens in causis matrimonialibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

representet, sed hoc non obstat rationi Sacramenti, cum absolute & secundum se consideratum hanc rationem habeat.

Q. 3. *Quis sit Judex competens in causis matrimonialibus.* R. §. 1. Causæ de dote, sponsalitia largitate, alimentacione, successione, hereditatibus, pertinent ad forum civile, sunt enim merè temporales, *Bellarmin.* supra De Matri. c. 32. *Sanch.* l. 10. d. 8. n. 15. *Aversa* q. 9. f. 1. Rectè tamen notant multi cum *Delb.* De imm. Eccles. c. 10. d. 6. f. 3. & *Sperell.* decis. 1. n. 15. & decis. 138. à n. 107. Judicem ecclesiasticum, postquam cognovit principaliter de Matrimonio, posse incidenter & accessorie, cognoscere de causa dotis per *Cap. De prudentia, De donatio. inter vir. & uxor.* Item si causa sit pia, uti si puella sit pauper, & requirat Judicem ecclesiasticum, *Cap. Per tuas, Qui filii sint legitimi.* Similiter docent cum multis contra alios multos *Sperell.* n. 17. & *Delb.* f. 5. posse etiam Judicem ecclesiasticum, si requiratur, causâ pietatis cognoscere de alimentacione præstanda spurio. Item f. 7. docet *Delb.* si hæredes intra annum non exequantur legata, etiam profana, posse etiam apud Judicem ecclesiasticum conveniri ratione pietatis, quia defunctus est persona miserabilis, quæ se juvare non potest. Et ex illis, quæ habet *Sperell.* in decisione 156. & 158. item *Pignat.* tom. 3. conf. 24. probatur pupillos, viduas, virgines; item mulieres habentes viros tantum inutiles, posse confugere ad Judices ecclesiasticos, sunt enim tum causæ piæ.

§. 2. Si agatur de valore vel invaliditate sponsalium, pertinet ad solum forum ecclesiasticum, quia ratione finis, qui est Sacramentum Matrimo-

17.

18.

monii, causa est spiritualis, *Abb. Rosel. Paderb. Sanct. Sperell. decis. 1. num. 12. De dissolutione sponsalium dicitur n. 215.*

19. §. 3. Ex Cap. Tuam, De ordine cognitionum constat, quod causæ circa proclamationes, contractum, valorem, partes Sacramenti Matrimonii, benedictionem sacerdotalem, & similia pertineant ad Judicem ecclesiasticum: & de his intelligitur *Trid. sess. 24. can. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit.* Per Judicem autem ecclesiasticum intelligitur hic Episcopus, vel cui ille committit, nam *Trid. sess. 24. De ref. c. 20. ait: causas Matrimoniales non Decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquuntur.* Hinc quærat, an hoc vel illud Matrimonium sit legitimum aut validum, id spectat ad Episcopum, ita ut invalida sit decisio aliorum, etiam si partes in alios compromittant, *Covarr. Tann. Sperell. decis. 9. n. 9. & decis. 8. n. 30.*

20. §. 4. Harum causarum cognitionem potest Episcopus etiam inferioribus Prælati delegare. Vicarius autem generalis non potest has causas cognoscere sine speciali commissione, *Barb. Decret. potest. Episc. alleg. 54. n. 24. Krimer n. 1508.*

21. §. 5. Causæ de gradibus cognationis, divortii, impedimentiis, principaliter pertinent ad Judicem ecclesiasticum, quamvis, in quantum concernunt naturales contractus, possint etiam pertinere ad sæcularem, *Bellarmin. supra: sed notat Pignat. tom. 8. conf. 111. in talibus legem civilem debere cedere ecclesiasticæ; & ita quamvis Justinianus permiserit conjugia consobrinorum, tamen Canon, Quædam lex, 24. q. 3. rejicit, & observari debet Canon ille.*

§. 6. Putant *Anchar. Abb.* alique Juristæ 22.
 communiter cum *Marta*, quando agitur de pos-
 fessorio Matrimonii, laicum posse esse Judicem,
 quia, an Matrimonium de facto fuerit (quod re-
 gulariter habetur ex attestatione Parochi) adeo-
 que manuteneri debeat, est res purè facti, quæ
 Matrimonii valorem non attingit, ideoque
 omnem possessionem cujuscunque rei spiritua-
 lis, v. g. Beneficii, esse aliquid facti, ac pertinere
 etiam ad Judicem civilem, docent aliqui ex
 Cap. *Cum nostris*, De concess. præb. uti refert
Delb. c. 7. d. 7. f. 1. Addunt aliqui apud *Sperell.*
decif. 9. n. 3. licet Matrimonium prout est Sa-
 cramentum sit res spiritualis, attamen prout
 est contractus, esse quid civile, ideoque etiam
 ad Judicem sæcularem pertinere conjuges ad
 mutuam fidem servandam compellere. Oppo-
 situm tenent, *Covarr. Delb. c. 10. d. 5.* & Canoni-
 stæ communiter: Rationem dat *Sperell. decif. 8.*
 & 9. tum quia, ad quem spectat causa principa-
 lis, etiam spectat accessoria, *L. Nulli Cod. De ju-
 diciis, cap. 1. De causa possess. & propriet. tum
 maximè, quia in causa de possessorio semper pro-
 bari debet titulus saltem coloratus, hujus au-
 tem probatio in hac materia, secundùm omnes,
 spectat ad solum Judicem ecclesiasticum.*

§. 7. Si agatur de aliquo puniendo, v. g. qui 23.
 clandestinè vel sine proclamationibus vel cum
 impedimento Matrimonium iniit, quamvis ad
 forum ecclesiasticum spectet declarare, an clan-
 destinitas intervenerit, tamen suppositâ aliunde
 notoriâ illorum certitudine putant *Sanch. Tamm.*
Gob. Loth, Krimer n. 1509. & alii, causam puni-
 tionis esse fori mixti, & posse præveniri à foro
 civili, uti fit in aliis contractibus civilibus, quia
 Matri-

Matrimonium olim fuit contractus civilis, neque videtur adhuc constare, quod quoad ista de fieri esse subjectus Jurisdictioni civili, adeoque forum civile videtur manere in possessione, quamvis contradicant *Decius* & alii, eò quod illi contractus jam ad rationem Sacramenti sit Christo elevatus. Putant tamen multi, Judicem sæcularem cogere posse ad servanda sponsalia, uti cogere potest ad servandam fidem aliorum contractuum, quamvis juramento sint confirmati: & universaliter docent *Aversa* q. 6. f. 8. & *Pignat.* tom. 8. conf. 87. Principes sæculares posse per leges pœnales coadjuvare leges ecclesiasticas, sic enim videmus per eos constitui pœnas contra blasphemos, perjuros, hæreticos, maximè cum spectet etiam ad gubernationem civilem, ut omnia etiam circa sponsalia & Matrimonia rite observentur. Imò posse Judicem sæcularem per censuras compelli ad assistendum Judici ecclesiastico requirenti, docent *Farin. Melech. Barb.* & alii cum *Pignat.* tom. 9. conf. 130. § 9. Quòd si attingatur causa sanguinis, solus laicus est Judex competens, quia Clericis prohibetur, ne attingant causas sanguinis. Quisnam sit Judex in causa concubinatùs, non convenit inter Doctores: *Pignat.* tom. 9. conf. 139. à n. 84. putat etiam ad forum civile pertinere, hinc multi dicunt dari locum præventioni, adeoque esse mixti fori. Videri possunt multa de hoc apud *Pignat.* totà illà consultat.

§. 8. Si laicus in delicto mixti fori sit à Judice ecclesiastico condemnatus vel absolutus, non potest à Judice laico propter idem delictum molestari, uti latè probant *Sperell.* decif. 134. & *Pignat.* tom. 5. consult. 44. Hoc tamen non ob-

stant

stante docet cum aliis *Sperell. decis. 92. & 137. n. 48.* si Judex laicus prævenit, & pœnâ temporali puniêrit, posse Ecclesiasticum adjuicere ecclesiasticam, & v. g. excommunicare. Hinc etiam *Krimer. n. 582.* & alii dicunt, si Judex laicus multârît concubinarium, posse Ecclesiasticum eundem corrigere, quia licet punitus in uno iudicio, non debeat puniri in alio, tamen quando unus Judex tantum agit ad puniti-
 onem, uti facit laicus, Judex Ecclesiasticus, qui non tam agit ad puniti-
 onem, quàm ad corre-
 ctionem, non ideo debet censeri per præventio-
 nem exclusus.

25.

§. 9. Si agatur de divortio quoad vinculum, solus ecclesiasticus est Judex. *Can. Saculares. 33. q. 6. Can. Multorum. 35. q. 6. Cap. Per venerabilem. Qui sint filii legit. Cap. Tuæ fraternitatis, De procuratoribus. Cap. Porro. & Cap. De illa. De divortiiis, ubi dicitur, si etiam parentela esset publica & notoria, absque iudicio Ecclesiæ ab ea separari non poterit. Etiam quando agitur de divortio, quoad torum tantum, aut habitatio-
 nem, ratione hæresis vel adulterii, ad eundem est solus Judex ecclesiasticus, *Sanch. l. 10. d. 8. n. 15. Castrop. d. 3. p. 6. §. 5. Gob. in Quin. tr. 5. c. 36. nisi alicubi esset consuetudo contraria, sicuti solet Judex laicus se informare de sævitia mariti &c. Et quia secundum antè dicta, si causa principalis spectet ad Judicem ecclesiasticum, etiam ad eum spectat accessoria, sequitur, si Ecclesiasticus deciderit de valore Matrimonii, ad eum spectare etiam agere de causis divortii, de constituenda vel restituenda dote, *Sperell. Gob. Loth, Delb. Crimen polygamiz spectare ad fo-*
 rum**

rum ecclesiasticum, demonstrat *Pignat.* tom. 1. conf. 115. & in novissimis consult. 118.

26. §. 10. Quamvis secundum dicta n. 17. causa dotis spectare possit ad Judicem laicum, etiam quando per se & principaliter agitur causa dotis restituendæ post divortium, putat tamen *Krimer* n. 1793. quamdiu lis pendet apud Judicem ecclesiasticum super causâ divortii, non posse laicum se ingerere pro muliere in dotis repetitionem, nisi ab ecclesiastico prius fuerit decisum, quod mulier justè divertat ob culpam viri, *Sanch.* l. 9. d. 4. *De Luca* *De Matr.* disc. 11. Quis Episcopus judicare debeat de divortio, dicam n. 430.

27. §. 11. Circa clericum conjugatum, an gaudet privilegio fori ecclesiastici, videntur tenenda seqq. ex illis, quæ fusè disputat *Pignat.* tom. 1. conf. 45. 488. tom. 2. conf. 42. tom. 4. conf. 6. tom. 5. conf. 61. tom. 9. conf. 21. 36. 39. nempe 1. non gaudet, nisi authenticè probet se initiatum Tonsurâ: se post Matrimonium tenuisse habitum & Tonsuram aut Clericatum reassumpsisse; se duxisse unicam eamque virginem. De variis probationibus Clericatus agit fusè *Pignat.* tom. 9. conf. 45. 2. Si quis, postquam fuit iudicio laicali ob crimen subjectus, suscipiat Tonsuram, clericatus non prodest ipsi quoad bona, fortè nec quoad personam, cum re præventa sit, & Clericatus subsecutus non invenit personam liberam, sed jam affectam tribu- nali laico. 3. Si habitum & Tonsuram dimiserit, & hæc non reassumpserit, præsertim pluries ab Episcopo monitus, privari potest privilegio Clericali. 4. Si in habitu sæculari comprehensus sit à Curia sæculari, remanere debet sub potestâ

potestate seculari, donec definiatur, an gaudeat privilegio fori. Hoc autem definire, spectat ad Judicem ecclesiasticum, citato Judice laicali. 5. Filius Clerici conjugati, quamdiu pater vivit, etiam gaudet privilegio fori cum illo, *Pignat.* tom. 1. conf. 99. & 463. qui cum aliis idem extendit etiam ad uxorem, cum cujus consensu maritus sacrum Ordinem suscipit, sunt enim una caro: & universim ratione Matrimonii mulier sequitur forum viri, L. fin. Cod. De incol. L. Cum quidam, ff. De jurisd. omn. Jud. L. Ea, quae desponsata, ff. Ad municip.

§. 12. Si conjuges sint infideles, causae matrimoniales eorum spectant ad Judicem saecularem, quia Ecclesia non judicat de extraneis. Si autem eorum unus convertatur ad fidem, *Sanch.* l. 7. d. 3. n. 9. putat, si fidelis litem moveat, debere fieri apud Judicem laicum; si infidelis, apud ecclesiasticum, quia actor debet sequi forum Rei: è contra *Pontius* l. 6. c. 1. n. 6. dicit, quamvis infidelis sit actor contra fidelem, interpellandum Judicem laicum, quia tale Matrimonium remanet in ratione puri contractus humani: & hoc verum est, si litigetur de primo valore vel rebus spectantibus ad illum primum contractum: si tamen agatur de dissolutione talis Matrimonii, causa spectabit ad solum Judicem ecclesiasticum, non ideo, uti vult *Avers.* q. 9. f. 1. quasi Matrimonium respectu fidelis transeat in Sacramentum, sed ideo, quia secundum dicenda à n. 405. Christus soli Ecclesiae in favorem fidelium dedit potestatem tale Matrimonium dissolvendi.

§. 13. Ad agendum in causis matrimonialibus sufficit, si procurator habeat mandatum
Tom. VIII. B. gene-

28.

29.

generale, uti cum aliis contra alios tenet *Sperell.*
decif. 25.

30.

§. 14. Est hic obiter notandum, quod Affes-
for Judicii mixti, in quo tractantur causæ civiles
& ecclesiasticæ, possit esse etiam uxoratus, sic ta-
men, ut causæ spirituales non committantur
laico sed soli ecclesiastico: & quamvis laici pos-
sint consuli aut etiam referre in causa ecclesia-
stica, ac etiam accedente Episcopi consensu, se-
cundum aliquos auctores, possit in eos simul
cum clericis tanquam arbitros compromitti.
Cap. Per tuas 9. De arbitris, quia consilium da-
re, aut arbitrium proferre non sunt actus Juris-
dictionis spiritualis, *Clarus, Mol. Wiestner In-*
stiti. Canon. l. 1. tit. 29. n. 29. Item quamvis
laicis ab Episcopo delegari possint causæ pecu-
nariæ & aliæ similes merè civiles Clericorum
& Ecclesiarum, *Gloss. in Cap. Decernimus 2. De*
judiciis, Abb. Laym. Barb. Wiestn. n. 31. tamen
cap. Decernimus, expressè dicitur, non debent
Prælatos negotia ecclesiastica committere laicis
tractanda: hinc *Fagnan. in Cap. Contingit, De*
arbitris, pag. 609. ait: Laico non potest delegari
causa spiritualis, nisi per Papam: & *Glossa ad*
finem, v. sed in laicum, idem habet: unde *Con-*
Chalcedon. relatum Cap. Si quis, De foro competi-
dicit, quod Episcopi deligere possint alios Judi-
ces, intelligit *Glossa*, ecclesiasticos, *Pirh. l. 2. tit.*
l. 3. n. 71. Fagnan. in Cap. Si quis. n. 7. Ideoque
Clericus non potest sibi constituere Judicem
laicum, etiamsi Episcopi & Adversarii consen-
sus accedat, sed ad hoc requiritur authoritas
Papæ, nam, inquit *Wagner. in Cap. Contingit*
Concilium dicit, prohibemus, ne super rebus spiritua-
libus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laici

in talibus arbitretur, sicut non convenit laicum judicare de spiritualibus &c. Quod si contraria est alicubi consuetudo, dicendum videtur, esse ex defectu Ecclesiasticorum qualificatorum, aut accessisse concessionem Papæ.

§. 15. Si Judice ecclesiastico in hac materia 31.
controvertatur sua jurisdictio, potest ipsemet de hoc jure suo cognoscere, uti ex Jure, auctoritate & ratione probat *Sperell. decis. 133.*

§. 16. Si agatur de valore Matrimonii aliis- 32.
que similibus, tractari debet summarie, de plano, ac sine strepitu Judicii, si autem agatur de adulterio, sive criminaliter, sive civiliter, opus est processu ordinario, uti pluribus *Krimer à n. 2449.* Quandonam dicatur agi criminaliter vel civiliter, dicam n. 432.

Q. 4. *Quis sit accusator vel testis competens in cau-* 33.
sis matrimonialibus. R. §. 1. Qui ob turpem quæstum accusat vel impedire quærit Matrimonium, non auditur, Cap. *Significante.* 5. Qui Matrim. accusare: Et ratio redditur, quia malitiis hominum non est indulgendum: quod valet de omni pravo fine: item de illo, qui sciens impedimentum, non denunciavit, nisi probet se tum justè tacuisse, Cap. *Cum in tua*, ibid. Ex quo habetur sufficere, si juret, se primò postea intellexisse, & nunc manifestare non ex malitia.

§. 2. Si accusatio fiat circa impedimenta, 34.
quæ ipsi contrahentes remove, aut soli scire possunt, uti sunt servitus, error, defectus, consensus, impotentia, soli contrahentes sive conjuges accusare possunt: in aliis possunt etiam alii, per se loquendo: cæterum qui scientes & facientes Matrimonium invalide contraxerunt,